

C. Sto P

Beatissimo Padre,

Cum de relationibus Episcoporum cum Romana Curia in Aula Conciliari actum fuerit, nobis infrascriptis eiusdem Concilii Patribus, fas sit mentem nostram Sanctitati vestrae pandere circa nonnulla eundem argumentum spectantia.

I.- De Consilio Apostolico constituendo.

- a) Optandum ~~est~~ videtur ut constituatur Consilium Apostolicum circa Summum Pontificem constans ex Patriarchis Ecclesiarum orientalium, ex Cardinalibus dioecesium Ordinariis, ex Cardinalibus Praefectis vel Secretariis Dicasteriis Apostolicae Sedis, ex Praesidibus Conferentiarum Episcopaliurn nationalium electione constitutis, et ex aliquibus Episcopis ab ipso Summo Pontifice designandis.
- b) Optandum est ut hoc Consilium, salva semper potestate Summi Pontificis et Concilii Oecumenici, potestatem legisferendi obtineat in universam Ecclesiam, eique competat facultatem Dicasteria Sedis Apostolicae moderandi.
- c) Optandum est ut, si Summo Pontifici placuerit, hoc Consilium semel saltem in anno conveniat.

II.- De instauratione Dicasteriorum Sedis Apostolicae.

- a) Optandum videtur ut in hac instauratione peragenda praecipua norma sit aspectus pastoralis, nova officia instituendo pro hodiernis exigentiis, si casus ferat. Competentia autem Dicasteriorum melius determinetur, vitata semper eius duplicitate.
- b) Optandum est ut membra, officiales et consultores Dicasteriorum ubique terrarum seligantur.
- c) Optandum est ut Dicasteria Sedis Apostolicae potestatem tantum executivam vel iudiciariam habeant, reservata Consilio Apostolico potestate legislativa.

III.- De Legatis Apostolicis et Nuntiis.-

- a) Optandum est ut Legatus Apostolicus, quo nexus communionis inter Sedem Apostolicam et singulas Ecclesias roboretur ac manifestetur, sit aliquis Episcopus ex eadem Natione a Sede Apostolica nominandus.
- b) Optandum est ut Nuntii Apostolici munus sit tantum relationes inter Sedem Apostolicam et Civilia Gubernia fovere.